

esse censuit. Huic summum bonum est, in his rebus neutram in partem moveri: quae *ἀδικοπία* ab ipso dicitur. Pyrrho autem, ea ne sentire quidem sapientem: quae *ἀνάθεια* nominatur. Has igitur tot sententias ut omittamus; haec nunc videamus, quae diu multumque defensa sunt. Alii voluptatem finem esse voluerunt: quorum princeps Aristippus, qui Socratem audierat; unde Cyrenaici. Post Epicurus, cuius est disciplina nunc notior; neque tamen cum Cyrenaicis de ipsa voluptate consentiens. Voluptatem autem et honestatem finem esse Callipho censuit; vacare omni molestia, Hieronymus; hoc idem cum honestate, Diodorus. Ambo hi Peripatetici. Honeste autem vivere, fruentem rebus his, quas primas homini natura conciliet, et vetus Academia censuit (ut indicant scripta Polemonis, quem Antiochus probat maxime), et Aristoteles ejusque amici nunc proxime videntur accedere. Introducebat etiam Carneades, non quo probaret, sed ut opponeret Stoicis, summum bonum esse, frui his rebus, quas primas natura conciliavisset. Honestum autem, quod ducatur a conciliatione naturae, Zeno statuit finem esse bonorum; qui inventor et princeps Stoicorum fuit.

Tusc. V. 30. Sunt hae de finibus, ut opinor, retentae defensaeque sententiae: primum simplices quatuor: Nihil bonum, nisi honestum, ut Stoici; Nihil bonum, nisi voluptatem, ut Epicurus; Nihil bonum, nisi vacuitatem doloris, ut Hieronymus; Nihil bonum, nisi naturae primis bonis aut omnibus, aut maximis frui, ut Carneades contra Stoicos disserebat. Haec igitur simplicia: illa mixta. Tria genera bonorum, maxima animi, secunda corporis, externa tertia, ut Peripatetici, nec multo veteres Academicci secus: voluptatem cum honestate Dinomachus, et Calliphon copulavit; indolentiam autem honestati Peripateticus Diodorus adjunxit. Hae sunt sententiae, quae stabilitatis aliquid habeant; nam Aristonis, Pyrrhonis, Herilli, nonnullorumque aliorum evanuerunt.